

In Bibliothek

In Gesellsch. für Geschichte &
Alterthumskunde

1804

von Mich. Rißler

Carl Joh. Herm. v. Engelhardt.


1. Vita Davidis ab Hilchen
2. Vita Georgii Farensbach
3. Cyprius innocentiae et veritatis

VITA

DAVIDIS ab HILCHEN.

SECRETARII REGIS POLONIÆ ET
NOTARII TERRESTRIS

VENDENSIS.



RUINI IN LIVONIS,
MDCCCIII.

VIRO
ILLUSTRI
MAGNIFICO CONSULTISSIMOQUE
D. JO. CHRIST. SCHWARTZ
CIVITATIS RIGENSIS
CONSULARI LONGE MERITISSIMO
ABLEGATO AD LEGIS CONSTITUTIONEM
IMPERIALEM PETROPOLITANAM
DIGNISSIMO
MUNERUM AMPLITUDE
DOCTRINÆ EXCELLENTIA
AC
MERITORUM MULTITUDE
SUMME ET EGREGIE CONSPICUO

SENI
VENERABILI
QVI
ÆTATE IAMIAM PROFECTA
BONARUM LITERARUM STUDIUM
NON DIMITTIT
SED
SINE HÆSITATIONE LABORAT
DE IPSIS CONSERVANDIS ORNANDISQVE
ET IUVANDIS IIS
IN QVIBUS
VERUM STUDIUM ANIMADVERTIT
*BIOGRAPHIAM HANC HIL-
CHENIANAM*
ANTIQA PIETATE
D. D. D.

GUSTAVUS BERGMANN P. R.



VITA DAVIDIS ab HILCHEN.

BEATI DAVIDIS ab HILCHEN Epistolæ manu obsoleta exaratae, & satis annosæ, diu latuerunt in cista quadam hereditaria Wolmariaë, ubi cum sordibus, pulvere, vetustate, carie & blattis, pugnarunt. Auctor illarum fere vsque ad finem vitæ cum adversariis confligit, quid mirum si exempla ejus eloquentiæ hac contagione afficiuntur! Has literas nec opinato adeptas, pernici-ei eripuimus. In illis sane veluti in tabula, ingenii, animi, totiusque inæstissimæ Hilchenianæ vitæ imaginem propositam, intuesi possumus.

Ejus initium habuit Rigæ in Livonis circa annum 1561 *), a parentibus honestis. Nam pater fuit Thomas Hilchen Collegii majoris civium senior. Mater Catharina, e genetosa & nobili Kalbiorum stirpe.

Quibus puerilis ætatis magistris usus sit, nobis non innotuit; at tirociniiis literarum puerilium positis, ad capiendas doctrinas majores, doctores

*) Lib. V. Epistolarum Ep. 10. Ago jam quadragesimum secundum annum scilicet Zamoscio. 27. Jul. 1603.

artium academicos audire cœpit: primum in Tubingiana Academia, vbi toto biennio in optimarum artium & Jurisprudentiæ studio versatus est. Post, toto anno in Heidelbergensi Academia profecit. Deinde se contulit in Academiam Ingolstadianam, rector & comes vel studiorum vel itinerum datus Principi Juveni Alexandro Slucensî, quocum toto triennio audivit Jctos, qui tum maxime clarebant, & vrbes nobiles exterarumque nationes visit.

Ita sex annis in studiis doctrinarum exactis, cœmenso studiorum curriculo, in Patriam rediit, partam doctrinæ copiam ad usum communem conferre instituit, & se Illustri Dno. Jo. Zamoscio de Zamoscie, supremo Regni Poloniæ Cancellario & Exercituum Generali &c. addixit.

Probata viri scientia, assiduitate, fideque An. 1585 munus Secretarii ad nutum Senatus Rigenfis, per quadriennium ei impositum fuit: cum supremum Secretariuñ ageret, munus illi Syndici delatum est, cui ille novem annos egregie satisfecit. Eo tempore irruerant mala illa publica & magna vi ingruerant vexationes male fœnæ Brinkianæ & Giliianæ, per quarum decursum in tanta tempestatis fœditate & perturbatione rerum; is nullum periculum, nullas molestias defugit, & prope merfus fuit, calamitatum oppidanarum fluctibus. In hoc munere

quanta fide verſatus ſit, non neceſſe eſt dicere, cum ex teſtimonio luculento ipſi a Senatu Rigenſi die 10 Febr. 1589 dato, pluribus conſtat.

Socerum habuit Proconſulem Franciſcum Neuſtadt, natum an. 1540 d. 15 Auguſti in diœceſi Bremenſi: qui Dorpati matrimonium inierat cum filia Proconſulis Meier. Hæc adduxit Neuſtadio privignam Catharinam, †quam collocavit noſtro Davidi Hilchen Syndico urbano An. 1587.

Conſiſtorium & ſcholas reſtauravit, initium Bibliothecæ urbicæ fecit, & libros conquiſitos idoneo loco reſpoſuit. Typographiam propriis ſuntibus invexit, & ei officinam librariam adje- cit. In rebus ſalutem, felicitatemque publicam ſpectantibus omnem diligentiam & religionem ſupra modum tendere viſus eſt, & maximam lau- dem eſt conſecutus, de quibus ſingulis & aliis, cum in Teſtimonio Senatus Rigenſis*) ſatis co- pioſe ſint tradita, multa dicere non eſt neceſſe.

Nobilitatem livonicam cum Rigenſibus diſcor- dantem & diſcrepantem, reconciliavit. Legati- onibus Regis Poloniæ ad Electores & Principes aliquot Germaniæ, magna cum laude ſua, & v- tilitate, functus eſt. Plures eruditionis fama nobiles viros adiit peregrinando, publice diſ- ceptavit, & ut opinor diſputationes edidit.

*) V. Clyp. Innoc. p. 56. Edit. noſtr.

†) Crumhuſen

Non defuerunt illi Patroni, consulendo, dirigendo, tuendo & hortando, ut Ill. Zamoscus Regni supremus Cancellarius sine pari, Georgius Parendbach Palatinus Vendenfis, Magni Ducatus Lithuanie Cancellarius Leo Sapielha, plerique alii Procères ac primi nominis Senatores Regii, quos coluit summa fide atque integritate, laudibusque celebravit, & quoad vixit in oculis habuit.

Cum causas ac negotia Senatus Rig. tractaret, Senatores urbani a Sigismundo III R. P. admoniti fuerunt, eadem D. Jacobi quæ Rigæ est, Patribus Societatis Jesu tradere. Hilchen nomine Senatus non facile cedebat edicto, nec de jure Civitatis aliquid remittere statuens, contra tendebat acrius. Hanc rem Rex ita acerbe tulit, ut Hilchen periculum carceris adiret: sed interpositione Zamoscii & aliorum non ita multo post in gratiam receptus, nobilitateque judicio ac beneficio regio An. 1591 cum duobus fratribus, Joanne & Thoma donatus est: ita nimirum ut insignia gentis Zamoscianæ (quæ multarum gens imaginum erat) familiæ Hilchenianæ deferrentur, scilicet aurei coloris hastæ tres transversæ in area rubea, ut duarum cuspides seorsum, tertiæ ejusdem mediæ, deorsum spectarent. Accessit supra galeam clathratam equestrem coronatam cauda pavonis, plumis nativo colore pictis explicata.

Munus Secretarii Regii illi a Rege Poloniae creditum, provinciamque Notarii terrestris Vendenſis ſuſcepit. In inveſtigandis igitur prædiorum juribus An. 1599. Reipublicæ multum profuit.

Hilchenii vita non adeo ab offenſis vacua fuit. Acerrimos adverſarios habuit, Proconſulem Nicolaum Eich, hujus Generum Thom. Ramin, & Viceſyndicum Jac. Godemann, quem enixiſſime juverat & promoverat. Quomodo enim reticere poſſumus, hunc Godemannum An. 1599. Hilchenium ſtriſto gladio in certamen vocaſſe, ob inſimulatam ærarii publici expilationem, quem hic Vir, qui movebatur ærius & natura iracundior erat, non gladio ſed rectrice equi virga attigit: qua offenſione in Prætorium vocatus eſt, ut capitis ſupplicium poſtuidie de eo ſumerent, quod accidiſſet, niſi ab Ill. Farenſbachio manibus invidorum ereptus fuiſſet; Is enim comitatus incuriam venit, & ut ſine mora Hilchenium dimitterent, poſtulavit. Tunc fortunæ omnibus, honore exturbatus, linquenda illi erat patria & placens vxor & Domus, & Villa Wiberſhof & Weſterotten: nec ſeqv. bantur eum Socer, & Socrus, & amici jucundi, nullo labore parata bona, & conquiſiti libri, quorum amiſſio vehementer concitare animos ſolet. Hæc omnia ſuſtinuit Vir, meliori ſorte digniſſimus, ita ut a conſtantia, homine chriſtiano digna, & ab animo adverſus omnes vita

molestias & miseras munito, non discederet.

Octenium & quod excurrit in exilio circumactus, in expectatione Judicii Regii hæsit, vna solius sententiæ spe fretus, a suâ Zamoscii bene laudati liberalitate & humanitate in prædio Orissoviano in Polonis sustentatus, qui illi hospitium præstitit adverso tempore. Hoc prædium quod proferebat summam duorum millium fl. quotannis, post mortem Zamoscii redemit, non quidem ut hæres sed ut tenutarius. An. 1604 Conjux Catharina cujus matrimonium octena prole auctum erat, maritum in exilium secuta est. Hæc filias adhuc tres in Orissoviano agro peperit. In Epistolis oppido leguntur hæc nomina liberorum Hilchenianorum: Davides, Franciscus, Alexander * Jesella: at quænam Sui in cursu vitæ, secunda vel adversa tenuerunt, non nobis innouit.

Cum vero Hilchenius noster omnes Juris partes, magno studio & pari diligentia tractasset, per Clypeum innocentiae & veritatis, contra Rigeasium calumnias Zamoscii An. 1604. primum latine, deinde etiam Cracoviæ germanice, aîo sequenti editum, quo causam suam acius contra

*Franciscus Neustadt, nepotem suum Alexandrum ab Hilchen, hæredem testamento reliquit, ex prædio Rammenhof in districtu Segewoldensi

Eichium & Godemannum defendebat, aditum ad S. R. M. sibi patefecit. Judicia collegit JC-torum Parisiensium, Francofurtensium, Academia Vittebergensis, Ingolstadianæ, Heidelber-gensis, Lipsiensis, Jenensis, Helmstadianæ, Patavinæ, Justi Lipsii, Jo. Caselii, Josephi Sca-ligeri, Isaaci Casauboni, & Friderici Taubman-ni, qui solus ex omnibus Godemannum comen-davit & magnopere extulit.

Reliquit Epistolas benè multas ad Academias, & Doctores missas, quæ exstant in libro sexto ejus Epistolarum familiarium ad exteros scriptarum, quæ nunquam prodierunt, & quas cum opinione multorum de sua innocentia suscepta, multorum-que hominum gratulationibus ab ipso collectis, una cum Decreto Regio, editurus erat, nisi mor-te præventus fuisset. *)

* Lib VI. Ep. 39. Joan. Caselio Professore Academix Julix ser. "Ne igitur longius abeam, cum non ignorem, te maxime avere scire, quo tandem in statu causa mea cum Rigenfibus fit, ecce mitto ad te exemplar Decreti, ut sit quo lateris & amico gratificeris, qui sit istius exitus cognoscendi cupidus. Spero tibi pro tuo summo judicio hoc Decretum probari. Ut temporis ratio tulit, ita latum est. Ne deprecationis sessionisque mentio in decreto esset, pluribus rogarunt adversarii, Sponte se mihi facturos satis, peculiaribus literis caverunt. Si fecerint, flebo. Si non, criminalis Actio locum in Comitio

Triennium ante exitum causæ, Godemañus, Eichius, & Rammus, conscientia testimonio victi, territiq; rationum ærariarum male administratarum causa, diffugiunt, civitatemqve a tergo relinqvunt.

Nullum majus inæstia genos illi accidit, vt ex epistolis patet, quam quod per filium natu maximum Davidem, ad eum pervenit, ex quo magnam tristitia materiam habuit. Nam is invito parente ad religionem Pontificiorum se trahi passus est, sed admonitionibus patris postliminio rediit & resipuit An. 1609.

Interitus suñi Fœrensbachii A. 1602 d. 17 Maji extincti, ipfi non modo tristis & acerbus fuit, sed

inveniet suum. Enixe tamen eos operam daturos spero, vt quod debent, præstent Atqve ita propitius Deus in eorum viscera recessit, qui mihi exitum injustissime parabant. Quæ mihi causa gravis est, cur vindici Deo gratias suppliciter agam, qui sua potentia & suffragatione mihi præsto fuit, & adversus ingentem improborum consensum multorum hominum opinionem de mea innocentia susceptam, confirmavit. Multi sunt qui famam & honorem mihi gratulentur voce & scripto. Ista a me collecta vna cum Decreto edentur Lublino d. 7. Jul A 1609." Latinitas harum Epistolarum in exilio scriptarum, quas casu paravimus, est sine affectatione, pura, satis elegans, leniter sepe labens, etsi non verbis castigatior.

obitus Zamoscii An. 1605. illi etiam gravis & luctuosus fuit, qui in horum morte vel amicorum suavissimorum vel fautorum maximorum iacturam fecerat. Danieli Cramero Doctōri Stetinensi scribit Añō 1607. (lib. VI. Ep. 20) " Deceveram isthic figere pedem, sed voluntas mea cum religione certamen inire recusat. O fides! fides! quot semper mihi a te turbæ, molestiæ, insidiæ! Vult Heroina Zamoscii olim nostri, (hæc est conjux b. Zamoscii) vt me obligem ad romanæ religionis isthic promovendæ studium. "

Initio belli livonici An. 1601. 1602. 1603. de Republica multis nominibus bene meruit, nulla nisi a conscientia mercede: & quod maxime ei honori fuit, quatuor arces livonicas recuperavit & hostibus eripuit. Lib. I. Ep. 60. ita scribit: Versor in castris, nullum periculum refugio: mittor ad hostilia colloquia ab Ill. Exercitus Duce, obsidis locum subeo, sumptu meo milito. d. 4. Oct. 1602. Eo obside arx Weissenstein in potestatem R. P. redacta est. Dein arces Helmet, Ermes & Mariæburgum adduntur. Oppugnantibus arcem Felinum se immiscuit, prius quam Sveci certaminibus & crebris maximorum tormentorum ictibus fatigati & victi ex arce discederent, accurrit Farenbachio faucio vulnere gravi, quod vitæ finem Heroi attulit.

Scripsit tum Noster Farensbachii moribundi nomine Epistolas illas memorabiles ad Regem Poloniae, & Consiliarios Regni, quæ Farensbachiiographiæ annexæ sunt, & in epistolis commemoratis etiam inveniuntur, in quibus moriens Hilchenio nostro tutelam liberorum suorum credidit.

Erat Hilchenius ab hypochondriis male affectus. Causa erat stomachus vitiosus quem bello erat nactus livonico. In urbem patriam nunquam rediit, ut mihi verisimile. An. 1609. die 2. Nov. scribit post exitum litis suæ: *Cur tardius in hoc meo livonico itinere, & in brumam proferam, coram exponam.* Item die 16. Decembr. ejusdem anni: *Iter meum livonicum in tertiam septimanam profero, non ulterius.* Ad Fr. Taubmannum: *Rebus meis jam pacatis, ad majora me conferam in Patriam, quæ magis me videre optat, quam expectat.* At nunquam hoc iter ingressus est. In tenui corpusculo vigeat ingens animus, cujus vires non fortuna sed virtus fovebat. Etiam si fractus illabatur orbis, ipse cum Horatio testatur, fore tamen ut propitio Deo, impavidum feriant ruinæ! Vixit ultra annos quadraginta novem. Epistola ultima ab illo relicta, est de die 4. Junii An. 1610 in Orissoviano ubi scribit: *omnino intra hunc mensem abibo.* Abiit illuc quo priores abierunt, demigravit, discessit ex hac ærumnosa vita, vel eodem mense ex

Orissoviano aut alibi, vel serius! Vbi enim obdormiverit, quo morbo oppressus, quando extinctus sit, ubi corpus vel funus conditum, quis nobis hoc expediet? Quid conjugii, quid liberis, quibus haud moderatæ indulgentiæ; sive non ita mitis severitatis parens erat, ut ex Epistolis perspicimus, quid vno verbo ultro Suis acciderit, penitus nos fugit atque incertum est.

Neque tamen dulcis omnino erat aliis, immo iracundior, & movebatur acrius, quod satis liquet ex jurgio inito cum Godemanno, & ex eo quod legitur in chartas translatum, ut Arndtius & Gadebusch, Hilchenii biographi meminerunt: scilicet de muliercula cui mitram baculo dejecerat. Quod autem narratur de quodam servulo Castellani Dorpatensis Leniek, quem noster conduxit, cuique mandavit, ut quendam Matthiam Treyden glande plumbea trajiceret, in ancipiti hæret animus, ut eam rem ab invidis & malevolis hominibus confictam & eumentitam putemus. Nullibi de hac re aliquid in Epistolis legimus, & omnia nos svadent credere in hac re aliquam hominum malitiam intercessisse, quæ refellitur testimonio ejusdem Castellani Dorpatensis Leniek in *Clyp. Inn.* p. 67. Fac quæso, hanc non esse malitiosam obtreccionem, cur Godemannus siluisset? cur non questus esset de tam nefando flagitio? Odium certe Hilchenio conflare nives

esset in scripto formulis typographicis edito ubi Hilchenium indignis modis laceravit, quod proh dolor! maxime quaesitum, nullibi nobis contigit, nec oculis nostris unquam usurpare licuit.

Nunc adhuc de scriptis hujus Viri longa digni memoria, breviter erit dicendum, qui semel atque iterum in Epistolis suis, propriis ingemuit malis; Pag. 200. *Solus ego miser octennium spirans, non adspiro ad alta, si modo humi serpentem justitia sublevaret. Omnia mihi derogentur constantia & integritas maneant, & abeant mecum ad aeternitatem.* Scripsit bene multa, attamen pauci ex Nostratibus aliquid scriptorum ejus inspexerunt. Ipse scriptorum suorum maximam partem absolvit patria exsul ab Annis 1600. usque ad Annos 1610.

Sequitur iam spicilegium doctorum laborum Hilchenii, qui nobis innotuerunt: occiderunt quasi, ne se oblectent posteri, quique omnes apud amatores, magno pretio sunt. Scripta quae asterisci nota leguntur, nobis consecrari nullo modo licuit.

1. Oratio qua Ill. & Magnif. Dnis Commissariis Regiis nomine Senatus & Civitatis respondet Dav. Hilchen Rigae 4to 1589.
2. Civitatis Rigensis Transactio sive Contractus inter spectabilem Senatum ex vna, & Communitatem

nitatem nec non vniverfos incolas Regiæ Civitatis Rig. ex altera parte, mediante amicabili compositione infra scriptorum Regionum Commissariorum initus, & tanquam in perpetuumvaliturus, publico juramento in prætorio confirmatus, die SEVERINI, qui erat 26. M. Aug. A. C. 1589, & germanice Rigischer Stadt-Verdrach. &c. Mscrpt.

3. *) Academiæ Zamoscianæ recens institutz intimatio. Rigæ 1594. 4.
4. Orationes tres Nikolai Ekii proconsulis, Dav. Hilchen, & Joannis Rivii, habitæ 1594. in instauratione Scholæ Rigenfis. Rigæ 1597. 4.
5. *) Livoniæ supplicantis ad Regiam Majestatem Oratio. Cracoviæ 1597. 4. & [Ruini 8vo adhuc sub prelo.] *it. Rigæ An. M. D. III C.*
6. *) Epistola gratulatoria ad Ill. Leonem Sapieha de felici ipsius cum Elisab. Radzivilea matrimonio. Rigæ 1599. 4.
7. Trostbrieff an den Erleucht. vnd Wollgeborn. Herrn Georg Farensbach, Erbherrn auf Karkhufs, Woiwoden, Feldobersten der Lieffl. Ritterschafft, zu Tarwast und Ruien Hauptmann. (Oratio in obiturn Conjugis Sophiæ ex antiqva stirpe Firxianorum.) von David Hilchen Königlichem Secretario. Ausm La.

sein. verdeutscht. Riga 4. bey Mollyn 1599.
Oratio ergo non erat sermone patrio ab
initio scripta. Vbi latet textus origina-
lis?

id a Fridenthal

8. *) Oratio Salomoni & Frencel inscripta. Helmst.
1603. Frencelius iste insidiis Nic. Ekii Rigæ ex-
tinctus erat.

9. Clypeus innocentiae & veritatis. Zamoscii.
1604. 4. & Ruini 8vo 1803.

10. *) Item germanice: Gegenwehr der Unschuld
u. Wahrheit wider Godemann &c. Versio au-
ctior, Cracoviae 1605.

11. *) Carmen in obitum Solikowsky Archiep.
Leopoliensis & oratio. 1604.

12. *) Votum nuptiale Joanni Danielowicz. S.
R. M. Incisori, Capitaneo Belzensi inscri-
ptum. 1605.

13. *) Votum nuptiis Stanisłai Zolkiewsky Palati-
ni Kiioviensis R. P. Ducis Campestris, desti-
natum. Lachico (polonico) stylo. Zamoscii
1605.

14. *) Elogium Ill. Herois Zamoscii. Zamoscii.
1605. Est quoque in Germania recusum.

15. *) Oratio Anti-Carolina (sub ficto nomine
latere voluit.) 1606.

16. *) Jambicum Dunamundense. 1608.
17. Vita Ill. Georgii Farensbach, Palatini olim Vendenfis Zamoscii. 1609 & Rurini 8vo 1803.
18. *) Oratio in Casparem a Dœnhof heredem in Idwen. 1609.
19. Epistolæ D. Hilchen, obsoleta manu exaratae & sex libris digestæ ab An. 1600 usque ad Annum 1610. partim in Polonia, Zamoscii, in agro Orissoviano, partim in castris durante bello livonico conscriptæ & in unum Volumen collectæ, vbi 715 Epistolæ leguntur.
- Lib. I. Ad Archiepiscopos, Regem Poloniæ & S. Ordinis homines 133 Epistolæ scriptæ.
- Lib. II. Epistolæ 115 ad Principes, Palatinos, Castellanos, Marschalcos, Thesaurarios missæ.
- Lib. III. Epistolæ 89 alieno nomine exaratae, una cum literis Nobilitatis Hilchenianorum.
- Lib. IV. Epistolæ 15 nomine Farensbachii bene multo laudati, elaboratae.
- Lib. V 271 Epistolarum familiarum.
- Lib. VI. 92 Epistolarum familiarium ad exteros, hoc est Germanos, Italos, Gallos, viros doctos, missarum.

Ne commendatio innocentiae cum morte extinguatur, sed cum posteritate communicetur.

dum hic Vir, Ill. Farenbachio olim æternum
 symbolum ære suo posuit, ponamus et iam nos
 qui non procul a prædio Westerotten nati sumus,
 Ei, stanno nostro, post duo Secula, hoc quale-
 cunque monumentum.

At Tu humane Viator! cum aliquando *Gau-
 jam*, Pontone *Hilcheniano* trañcis, quamquam
 festinas, non est mora longa ingemiscere malis
 nostri *Hilchenii*, persoluto Portitori, obolo,
 curras.

